

EPISTULA LEONINA

CXC

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXXIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM NONAGESIMAM (190) !

ARGUMENTA

DESINIT IN PISCEM	03
FABELLA GRIMMIANA (<i>Der Arme und der Reiche</i>).....	04-09
DE LATINI SERMONIS PRAESTANTIA.....	10-11
DE MANTUAE ORIGINIBUS ETRUSCIS.....	12-14
VOCABULA COMMUNICATIONIS etc. (VI).....	15-28

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam nonagesimam (190). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!


Permultas invenies res computatrales necnon pedaliium (joystick) eiusque manuclam (trigger). Nec deest fabella!

Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 10. m.Febr., a.2019**



DESINIT IN PISCEM MULIER FORMOSA SUPERNE

HORATIUS, Ars poetica 1-5. Humano capiti ceruicem pictor equinam/
iungere si uelit et uarias inducere plumas/
undique collatis membris, ut turpiter atrum/
desinat in piscem mulier formosa superne,/
spectatum admissi, risum teneatis, amici?

Pinxit Julius Hübner a.1844: “Die schöne Melusine” (Melusina pulchra).

FABELLA GRIMMIANA

De homine paupere deque divite.



Temporibus antiquis, quibus Deus carus adhuc ipse in terris versabatur inter homines, factum est, ut idem aliquo vespere fatigaretur nocte ingruente antequam vēnit ad deversorium. Nunc in viâ ante Deum duae stabant ex adverso domûs, quarum una erat magna et pulchra, altera parvula et aspectu misera, magnam possidebat vir dives, parvam vir pauper. Tum Deus Dominus noster cogitavit: »viro diviti non ero molestus: itaque apud eum pernoctabo«. Dives autem vir, cum audivisset pultari ianuam suam, fenestrâ apertâ peregrinum interrogavit, quidnam quaereret. Deinde Dominus respondit »Sinas, quaeso, me in domo tuâ pernoctare«. Tum vir dives migratorem aspectavit a capite usque ad pedes, et quia Deus carus modicis vestimentis indutus erat nec aspectum praebuit hominis pecuniosi, abnuens: »Non« inquit, »te recipere possum. Nam conclavia mea

herbarum seminumque sunt plena; si unumquemque ianuam meam pultantem reciperem, mox mihi ipsi res ad rastros rediret. Alio loco quaeras, quo habites». His dictis vir fenestram raptim clausit carumque Deum stantem reliquit. Itaque Deus carus a viro divite aversus adiit domunculam in alterâ parte sitam. Eiusdem portâ vix pultatâ vir pauper iamiam portulam aperuit migratoremque rogavit, ut intraret. Deinde: »Manê« inquit, »nocte apud me. Tenebrae cum sint, hodie non iam progredieris«. Hoc quia Deo placuit, is intravit. Uxor viri pauperis ei manum porrexit, salutem dixit necnon dixit, ut peregrinus quam commodissimê frueretur paucis reculis egenis, quas haberent, et quas libenter darent.

Deinde mulier poma terrestria foco imposuit coquenda, quae cum coquerentur, capram mulsit, ut haberent paululum lactis bibendum. Cibis mensae impositis Deus carus consedit et cum illis cenavit, necnon cena, quamvis esset simplex atque egena, ei bene sapuit, nam cenavit cum hominibus hilaribus. Cenâ finitâ et tempore dormiendi veniente mulier maritum clam advocatum: »Audi« inquit, »care marite, hodiernâ nocte oportet nobis stramentum insternamus solo casae nostrae, ut is peregrinus pauper lecto nostro se collocet ibidemque requiescat. Tum vir: »Ex animo« inquit, »hoc faciam eique praebebo lectum nostrum« et iit ad Deum carum eumque rogavit, si placeret, in lectum se collocaret, ut membra sua bene recrearentur.

Deus carus noluit vetulis coniugibus lectum auferre, sed iidem non desierunt ei praebere lectum suum, usque Deus carus tandem in eodem se collocaret; se ipsos autem collocaverunt in solo, cui stramentum imposuerant. Postridie mâne primâ luce surrexerunt convivaeque ientaculum coxerunt quam optimum. Deinde sole per fenestellam irradiante, Deus cum surrexisset iterum cum coniugibus comêdit. Denique profecturus ante ianuam stans conversus: »Quia« inquit, »tam misericordes tamque pii estis, licet vobis tria exoptare, quae vobis explebo«. Tum vir pauper: »Quidnam mihi optem nisi ut assequamur aeternam beatitudinem et ut, dum vivemus, valere pergamus panemque nostrum cottidianum habeamus: tertium quid optem nescio«. Tum Deus carus: »Nonne« inquit, »novam domum tibi exoptas loco vetustioris?« - Deinde vir respondit: »Eia vero, hoc si etiam accepero, gratissimum mihi erit«. Tum Dominus Deus optata

viri mulierisque explevit, eorum veterem domum fecit novam et iterum ambos benedixit et iter perrexit.

Multo iam die surrexit vir dives. Qui fenestrae acclinatus aspexit novam domum nitidam tegulis rubris obtectam ibi, ubi antea steterat casa vetula. Tum stupefactus uxore arcessita: »Dic mihi« inquit, »quidnam factum est? Heri vespere ibi stetit adhuc vetula casa miserrima, sed hodie stat nova domus pulchra. Illuc i et audi, quonam modo hoc factum sit«. Uxor illuc iit et e viro paupere quaesivit, quidnam factum esset. Is autem: »Heri vespere« inquit, »migrator vênit, qui pernoctare voluit, et hodie bene mâne valedicens nobis tria vota concessit explenda, beatitudinem aeternam et valetudinem in hac vitâ prosperam et necessarium panem cottidianum et denique loco casae vetulae novam domum pulchram«. Uxor autem viri divitis properê domum rediit maritoque narravit, quomodo omnia facta essent. Tum vir: »Me caecum« inquit, »qui haec ante non viderim! Velim peream et dispeream: utinam hoc scivissem! Peregrinus enim ille antea hîc fuerat apud nos pernoctaturus, sed ego illum recusaveram«. Deinde uxor: »Propera« inquit, »equum ascende, ut virum illum assequaris et cura, ut tibi quoque concedat tria vota explenda«.



Vir autem dives hoc consilium bonum sequens equo rapidè profectus carum Deum Dominum adhuc est assecutus. Quem blandulè atque amabiliter allocutus rogavit, ne ille hoc sibi in malum converteret, quod non statim permissus esset intrare, se enim quaesivisse clavem ianuae domesticae, et interea illum abiisse: oportere, ut ille reversurus apud se deverteret. Tum carus Deus Dominus: »Hoc« inquit, »faciam, si quando revertero«. Deinde vir dives ex eo quaesivit, num sibi quoque tamquam vicino suo liceret tria vota facere. Tum carus Deus Dominus dixit hoc quidem licere illi, sed hoc illi quia non esset bonum, praestare vota facere nulla. Cum autem vir dives dixisset se talia vota sibi velle exquirere, qualia essent evasura felicia, si quidem sciret eadem expletum iri, carus Deus Dominus respondit: »Equita domum, tria vota, quae feceris, explebuntur«.



Nunc vir dives petita assecutus domum equitans meditabatur, quae vota sibi essent facienda. Cum habenis remissis deliberaret, equus salire incipiens virum iterum iterumque vehementius perturbabat, quam ut is cogitaret sat sapienter. Tum vir collum equi palpans dixit »Quiesce, Lisa«, sed equus non desiit recalcitrare. Tum denique vir indignatus impatienter clamavit: »Ah, vellem collum tuum frangatur!«. Haec verba effatus – tux tax - sine morâ humum decidit et equus mortuus prostratus iacuit immotus; hōc modo expletum est

votum primum. Cum autem vir dives naturâ esset tenax, noluit deserere sellam equariam; quam abscisam baiulavit neque potuit, quin pedibus iret. Nunc vir »restant tibi vota duo« cogitando se consolatus est. Sole autem meridiano fervidê ardente îdem vir lentê per harenam incedebat corpore nimium calefacto, animo exasperato, sellâ equariâ dorsum premente, neque sciebat, quaenam vota sibi essent facienda. Itaque secum locutus est verba haec: »Etsi omnia regna omnesque thesauros mundi exoptavero, postea tamen alia multa in mentem incident, hoc et illud, hoc iam nunc praescio, sed talia vota facere volo, qualibus factis nullum aliud restabit faciendum«. Tum gemens: »Heu« inquit, »utinam essem ille agricola Bavarus, cui quoque licuit tria vota facere, ille scivit rem sat prudenter facere, ille enim primo exoptavit sat multum cervesiae, deinde tantum cervesiae, quantum bibere posset, tum etiam dolium cervesiae«. Interdum sibi videbatur invenisse apta vota facienda, sed brevi post eadem sibi videbantur parum valere. Tum ei in mentem vênit uxor quam bene se nunc haberet, quae domi sederet in conclavi frigidulo et frueretur cibis delicatis. Haec mente sibi fingens vir dives tam vehementer stomachatus est, ut nescius secum loqueretur verba haec: »Utinam illa loco mei sederet in sellâ equariâ, utinam ne posset descendere pro eo, ut ego sellam equariam tractem dorso meo!« Ultimo autem verbo dicto sella equaria ablata erat e dorso viri, qui animadvertit alterum quoque votum suum expletum esse. Tum primo satis calefactus est; coepit currere et voluit domi in cellâ considerare ibique solus de ultimo voto faciendo quam maximo deliberare. At domum adveniens et ianuam conclavis aperiens, vidit uxorem in sellâ equestri sedere, descendere velle, sed non posse. Itaque haec muliercula et clamabat et lamentabatur. Tum vir dives: »Cara uxor« inquit, »contenta sis. Tibi exoptabo omnes divitias mundi, si quidem sedens remanseris«. At uxor virum increpuit beluam esse et: »Quidnam« inquit, »mihi proderunt divitiae? Tu voto faciendo effecisti, ut hîc sedeam affixa, ergo tu etiam debes me adiuvere, ut descendam«. Vir autem sive voluit sive noluit, debuit votum facere tertium, ut uxor a sellâ descenderet libera; necnon votum mox est expletum. Itaque vir dives votis faciendis nihil accepit nisi indignationem, laborem, verba increpatoria necnon equum amisit: At pauperes piê, laetê, quietê vixerunt usque ad finem beatum.



* * * * *

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T. Der Reiche und der Arme

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

DE LATINI SERMONIS PRAESTANTIA

Historia conexus inter populum et libertatem suam semper fuit. Contigit, ut praeterito tempore quidam moribus suis superbissimus aliis putatis inferioribus eos imposuisset, quod fecit Alexander Magnus dominatum suum cum extendere vellet. Ipse effecit ut dominatus linguae etiam praestaret et consequenter populi sub iugo huic dominatui subicerentur.

Hodie lingua quaeque est custos patrimonii specifici cuiusque populi, qui tradere velit mores suos per scripturam signorum.

Infeliciter hodie singuli sermones propter universalem dominatum linguae Anglicae vim suam propriam non servant. Oportet tamen dicamus conatum linguae omnium gentium communis, cui nomen olim linguae Esperanticae tributum est, in usum introducendae in irritum cecidisse.

Quia lingua praesertim est habitus specificus, formatur elementis singularibus cuiusque populi, cuius, singularitate sublata, character specificus perditur. Nam lingua non est solum simplex syntagma phonico-phoneticum, sed potius instrumentum, quo exprimitur habitus psychicus et mentalis alicuius gentis. Haud procul a veritate est illud dictum, quod momento singulari creatum est: *Cuius regio, eius religio*. Quo clarus fit sensus et habitus specialitatis. Ut instrumentum lingua viva est et manet, dum homo, qui eadem utitur, vitam et vim suam ostentat; si homo usus perit vel interit vel deest, conexus rumpitur, et instrumentum, quod superest, ut syntagma iam fixum, ad memoriam eruditam ductum est (id potest dici de linguis classicis Europaeis). Hoc in casu lingua valet, ut dicit linguista Francogallus *Millet*, non organum nationis, sed vehiculum civitatis. Si hoc dictum linguis classicis Europaeis applicare conamur, quod praevallet minus est syntagma phonico-phoneticum quam potius patrimonium mentale syntagmate vectum. Sed hodie nobis non obliviscendum est rationem (ordinem mentalem scilicet) non tam ostentatam per sermonem quemcumque hodiernum, qui eo fonte prisco derivatur, patere, quam imprimis per patrimonium, quod hodie putatur obsoletum esse, cuius maximum vestimentum non est nisi syntagma fundamentale. Et magis dicendum est nullum praestantius patrimonium esse quam

necessarium et inseparabile instrumentum syntagmaticum, per quod habitus formativus vehitur. Et haec consideratio ad ulteriorem cogitationem nos ducit, cum vice versa ductus linguisticus habitum psychicum saepius determinat, quod possumus notare in maiore sermonum hodiernorum parte.

Nam hi sermones sunt formatione et natura sua psychici, non rationales, sicut linguae classicae, Germanico sermone excepto.

Inter sermonem proinde et linguam distantia immanis subsistit: sermo est apparatus semantico-phoneticus, separatus a structura theoricoformali, quae emergitur ex operibus philosophico-litterariis (cum exemplar manet apud Germanos); lingua est e contrario apparatus universalis qui manifestatur per partem theoricam et partem practicam sine ulla contradictione. Hic character est typicus linguarum classicarum. Exemplum talis usus sermonis est opus philosophi aetatis modernae, cui nomen est *Baruch Spinoza*. Is non quocumque sermone ad communicandum utebatur, sed lingua Latina, et si translata in codicem communicativum structuram oralem, neque loquens usus est structura theorica qua utebatur philosophando. Multis autem in casibus, sicut evenit in Italia, sermo nascens, de quo loquitur Dante, fortissimum ligamentum fuit inter regiones terrae nationalis separatas; quod stimulus fuit ad unitatem instituendam. At hodie sermo quisque praesertim psychicus est, adeo ut populus specificus et clausus non capax sit sumendi aliud quod sit ultra limites suos.

Nonne est haec condicio causa incommunicabilitatis hominum hodiernorum maxime typicae et specifica?

Johannes Teresi

DE MANTUAE ORIGINIBUS ETRUSCIS

*Manto fu, che cercò per terre molte;
poscia si puose là dove nacqu'io;
onde un poco mi piace che m'ascolte.*

DANTE 57 (Inferno, Canto XX)

*“ ... Fatidiae Mantus et Tusci filius amnis qui muros matrisque dedit
tibi, Mantua, nomen”.*

VERGILIUS Aeneis X 198 sqq.

“Ergo Vergilius miscet novam et veterem Etruriam, ut utriusque principatum patriae suae adsignet, cum alioquin Mantua ad haec auxilia pertinere non debeat, quia Aeneas nulla a transpadanis auxilia postulaverit, cum omnis exercitus adversum Mezentium uno loco consederit. Et propterea putatur poeta in favorem patriae suae hoc locutus, ut de hac sola trans Padum pro Aenea adversum Mezentium auxilia faciat venisse, quod nec populorum nomina, nec lucumonum rettulerit”

(Aenea X 202)

“Mantuum autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui cum ceteris urbibus et hanc consecravit”
(Servio – Aenea X 198, ediz. Thilo-Hagen, II, p. 412 sg.)

Et Servio dicit: *“ ... non ab Ocno, sed ab aliis quoque condita fuit: primum namque a Thebanis, deinde a Tuscis, novissime a Gallis, vel, ut alii dicunt, a Sarsinatibus, qui Perusiae consedrant”.* (Aenea X 201)

Ocno conditor Bononiam fuit: *“et quondam Teucris comes in Laurentia bella Ocnii prima domus parvique Bononia Rheni”* (Pun. VIII 600 sg.)

In *Descriptio situs Lombardiae* (1327) dixit: *“Lombardia fere quatuor (provinciae) continebat, scilicet Liguriam, Alpes Cotias,*

Emiliam, Venetiam: fere dictum est, propter Emiliam et Venetiam quarum fines extra Lombardiam continentur”.

In *De vulgari eloquentia* Ferraria, Mutua, Parma, Placentia Longobardae urbes sunt.

“*Mantua Tuscorum trans Padumsola reliqua*” (Plinius Nat. Hist. III 19)

Isidorus Hispalensis dixit: “Manto Tiresiae filia post interitum Thebanorum dicitur delata in Italiam Mantuam condidisse: est autem in Venetia, quae Gallia Cisalpina dicitur: et Mantua quod Manes tuetur”. (Etym. XV I 59)

*Fer la città sopra quell'ossa morte;
e per colei che 'l loco prima elesse,
Mantua l'appellar sanz'altra sorte. 93
Venimmo a lei: o anima lombarda,
come ti stavi altera e disdegnosa
E nel mover de li occhi onesta e tarda! 63 (Purgatorio, Canto VI)*

Adiectivum “Lombardus” in Divina Comoedia latiore intellectum habet:

“*Dicimus ergo quod forte non male oppinantur qui Bononienses asserunt pulcriori locutione loquentes, cum ab Ymolensibus, Ferrariesibus et Mutinensibus circumstantibus aliquid proprio vulgari adsciscunt; sicut facere quoslibet a finitimis suis conicimus, ut Sordellus de Mantua sua ostendit, Cremona, Brixie atque Verone confini: qui, tantus eloquentie vir existens, non solum in poetando, sed quomodocunque loquendo patrium vulgare deseruit*”. (De Vulgari eloquentia I XV 2)

“*hanc ex commistione advenarum Longobardorum terrigenis credimus remansisse*” (I XV 4)

“*Pone, sanguis Longobardorum, coaductam barbariem; et si quid de Troyanorum Latinorumque semine superest, illi cede*” . (ex Epistula V)

Voce Vergilii colligo:

*“Mantua me genuit,
Calabri rapuere,
tenet nunc Parthenope;
cecini prescua rura duces”.*

Johannes Teresi

VOCABULA COMMUNICATIONIS ET INSTRUMENTORUM GRAPHEICORUM (VI)¹

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:

PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003. N = NOVA EDITIO: a.2011.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem primam, quae spectat ad astronomiam. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM
– IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI.
NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.
DOMESTICA – VIII. PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA
HORTULANA – IX. VESTIMENTA – X. INSTRUMENTA
PERSONALIA – XI. ARS ET ARCHITECTURA – XII.
COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.
TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas novam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

Nicolaus Groß
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

¹ cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII); EL 185, p.21-27 (IX); 186; 187; 188 ; 189.

Theodiscê	Anglicê	Francogallicê	Hispanicê	Italicê	Latinê
p.509 Büro	office	bureau	oficina	ufficio	*graphêum, -ī n.
Kaffeküche	employee lunchroom	cafétéria	comedor de los empleados	sala da pranzo del personale	*cafêum, -ī n.
Arbeitsplatz	workstation	poste de travail	puesto de trabajo	postazione di lavoro	locus operandī
bewegliche Trennwand	moveable panel	cloison mobile	tabique móvil	pannello mobile	saeptum mōbile
Abstellraum	storeroom	débarras	trastero	ripostiglio	cella reconditōria
Poststelle	mail processing room	salle de courier	sala de correos	stanza della gestione della posta	conclāve cursuāle
Kopierraum	photocopying room	salle de reprographie	sala de reprografia	stanza della fotocopiatrice	conclāve phōtocopiandī
Buchhaltung	accountant's office	comptabilité	contabilidad	ufficio del contabile	*graphêum ratiocinandī
Produktionsleiter	production manager	directeur de production	director de producción	ufficio del direttore de la produzione	*graphêum dīrēctōris prōductiōnis
Datentechnik	system support	soutien informatique	soporte informático	stanze del supporto informatico	oecus *Infōrmāticus
Sekretärin	executive secretary	secrétaire de direction	secretaria de dirección	stanza della segretaria di direzione	sēcrētāria dīrēctiōnis
Archiv	file room	archives	archivo	archivio	archivum, -ī n.
Büro des Geschäftsführers	chief executive's office	bureau du directeur general	oficina del gerente	ufficio del direttore generale	*graphêum dīrēctōris generālis
Chefsekretärin	managing director's secretary	secrétaire du président	secretaria de dirección	stanza della segretaria dell' amministratore delegato	*graphêum sēcrētāriae praesidis
Chefzimmer	managing director's office	bureau du président	despacho del administrador delegado	ufficio dell' amministratore delegato	*graphêum praesidis
Konferenzraum	conference room	salle de conférences	sala de reuniones	sala riunioni	oecus +cōnferentiārum [2. Albert Sleumer, Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg an der Lahn 1926, p.231: „conferentia, -ae f. Zusammenkunft, Versammlung, Vereinigung, Konferenz“]
Wartezimmer	waiting room	salle d'attente	sala de espera	sala di attesa	conclāve *praestolātōrium [2. cfr Christian Helfer, Lexicon auxiliare, 3.ed. Saarbrücken 1991, p.607: “Wartesaal: oecus *praestolatorius (Eichenseer)”]
Empfang	reception	réception	recepción	reception	locus receptōrius [cfr TERT.de resurrectione carnis 27]
Aufzug	lift	ascenseur	ascensor	ascensore	anabathrum, -ī n.
Eingangshalle	entrance hall	hall d'entrée	hall de entrada	ingresso	oecus intrandī
Feuertreppe	fire escape stair	escalier de secours	escaleras de incendios	scale antincendio	scālae incendiāriae
Umkleideraum	dressing room	vestiaire	guardarropa	spogliatoio	apodytērium, -ī n.
Damenttoilette	ladies' toilet	w.-c femmes	aseo de señoras	bagno delle donne	sēcessus mulierum

Herrentoilette	men's toilet	w.-c hommes	aseo de caballeros	bagno degli uomini	sēcessus virōrum
Kochecke	kitchen facilities	coin cuisine	cocina	angolo cucina	*coquīnula, -ae f. [cfr Iohannes Amosius COMENIUS, Lexicon atriale latino-latinum. Editio secunda. Amstelaedami 1686, p.167: "culina, coquina, Non., coquinula, Sipont."]
p.510 Büromöbel	office furniture	meublier de bureau	muebles di oficina	mobili per ufficio	supellectilēs *graphēicae
Archivmöbel	filling furniture	meubles de classement	archivadores	mobili di archivio	supellectilēs *archivāriae
fahrbare Aktenablage	mobile filing unit	classeur mobile	archivador móvil	schedario mobile	+schedārium mōbile
fahrbares Schubladen-element	mobile drawer unit	caisson	cajonera movil	cassettiera mobile	+casētārium mōbile [1. cfr Efre Ernest Compte (ed.): El costumari del Monestir de Sant Cugat del Vallès, Barcelona 2009, p.353: "De officio refectorarii. Ad officium refectorarii pertinet quod mane tabulas et crucifixum de pulvere excuciat, aquam adducat et in vase mitat et unum casetarium plenum ibi teneat, ciphos et culerias ipse in propria persona abluat..."]
Hängekartei	lateral filing cabinet	classeur à clapet	archivador lateral	schedario a visibilità laterale	+schedārium laterāle
Aufbewahrungsmöbel	storage furniture	meubles de rangement	muebles contenedores	mobili contenitori	supellectilēs reconditōriae
Ausstellungsregal	display cabinet	présentoir à revues	estante para revistas	espositore	pluteus *expositōrius
Schrank	stationery cabinet	armoire à papeterie	armario para papeleria	armadietto per cancelleria	armārium *graphēicum
Kleiderhaken	coat hook	patère	perchero de pared	attaccapanni a muro	uncus vestiārius
Kleiderschrank	locker	armoire-vestiaire	guardarropa	armadietto	armārium vestiārium
Garderobe	coat rack	vestiaire de bureau	perchero	attaccapanni a rastrelliera	vestium sustentāculum [Latinitas 57, p.132]
flexible Trennwand	moveable panel	cloison mobile	tabique móvil	pannello mobile	saeptum mōbile
Garderobenständer	hat stand	porte-manteau	perchero de pie	attaccapanni a stelo	stēla vestiāria
Aktenschrank	credenza	bahut	armario bajo	mobile contenitore	armārium +schedārium
p.511 Arbeitsmöbel	work furniture	meubles de travail	muebles de trabajo	mobili da lavoro	supellectilēs operātōriae
Computertisch	computer table	table d'ordinateur	mesa del ordenador	tavolo portacomputer	mēnsa *computātrī/ *ōrdinātrī
verstellbare Tastaturablage	adjustable shelf	support ajustable	plato ajustable	ripiano regolabile	dēpositōrium *plēctrologīi *rēgulābile [1. depositorium: IREN.3,4,1; 3. *regulabilis: Blas de Benjumea, Tractatus tertius de scientia Dei, ad mentem Doctoris Ioannis Duns Scoti, Lugduni Batavorum 1677, p.44: „Implicat contradictionem, quod prima omnino regula fit ab alia regula

					regulabilis... “]
herausziehbare Tastaturablage	pull-out keyboard shelf	tablette coulissante	bandeja extraíble para teclado	ripiano estraibile per tastiera	dēpositōrium *plēctrologiī *extractile 1. depository: IREN.3,4,1; 2. *plectrologium: cfr ngr. 3. *extractilis : cfr Forster, Descriptiones animalium ...Berolini 1844, p.198: »Maxilla superior extractilis , utraque edentula, ampla»]
Verblendung	modesty panel	panneau de modestie	panel	pannello frontale	tegimentum frontāle
Tower-Stellfläche	central unit platform	tablette pour unité centrale	plataforma de unidad central	supporto per unità centrale	*plānifōrma ūnitātis *centrālis
Druckertisch	printer table	table d'imprimante	mesa de la impresora	tavolo portastampante	mēnsa *typographī
Öffnung für die Papierzufuhr	paper feed channel	fente d'alimentation	canal de arrastre del papel	fessura di alimentazione	apertūra chartae admōvendae
Papieraufnehmer	paper catcher	panier de réception	bandeja para recoger el papel	cestello di uscita della carta	receptāculum chartārium
Papierablage	paper tray	panier d'alimentation	bandeja para el papel	cestello di alimentazione della carta	dēpositōrium chartārium 1. depository: IREN.3,4,1; 3. *regulabilis: Blas de Benjumea, Tractatus tertius de scientia Dei, ad mentem Doctoris Ioannis Duns Scoti, Lugduni Batavorum 1677, p.44: „Implicat contradictionem, quod prima omnino regula fit ab alia regula regulabilis... “]
Bürodrehstuhl	typist's chair	chaise dactylo	silla de secretaria	sedia dattilo	sella *dactylographica
Chefschreibtisch	executive desk	bureau de direction	escritorio de ejecutivo	scrivania direzionale	mēnsa praeceptōris scrīptōria
Schreibunterlage	desk pad	sous-main	vade	sottomano	substrāmen scrīptōrium 1. SIL.12,444 lubrica roboreis aderant substramina plaustris; ANTHOL.LAT.253,46 substramina flores]
Drehessel	swivel-tilter armchair	fauteuil pivotant à bascule	sillón giratorio	poltrona girevole reclinabile	arcisellium *gýrātōrium 1. PETRON.75,4. – 2. Gehler, Physikalisches Wörterbuch ..., 4.Theil, Leipzig 1791, p.407: „Umdrehung, Umdrehung, Rotation, umdrehende Bewegung, rotatio, motus rotatorius s. gyratorius , <i>Rotation, Mouvement de rotation</i> “]
Arbeitsplatz	secretarial desk	bureau secrétaire	escritorio de secretaria	scrivania operativa	locus operandī
Schreibtisch	desk	bureau	mesa de estudio	scrivania	mēnsa scrīptōria
Winkeltisch	return	retour	mesa auxiliar de escritorio	appendice dattilo	appendix mēnsae scrīptōriae
Fußstütze	footrest	repose-pieds	reposapiés	poggiapiedi	scannellum, -ī n. [PAUL.NOL.carm.1.60scannellum tuorum pedum]
Kniestuhl	kneeling chair	siège assis à genoux	silla ergonómica	sedia ergonomica	sella *genuflexōria [2. Concilium Romanum ...anno universalis iubilaei 1725 aBenedicto Papa XIII.... Romae 1725, p.103: “Verumtamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere

					nitantur, et ibidem aut stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare praesumant, id iterum...inhibemus; mandantes, ut, si quae sint pro laicis sacra inter loca praedicta, sedes, scamna, et genuflexoria , illinc auferantur et removeantur omnino"]
p.512 Fotokopierer	photocopier	photocopieur	fotocopiadora	fotocopiatrice	*phōtocopiātrum , -ī n.
Kopienablage	feeder output tray	plateau récepteur	bandeja de recepción de copias	vassoio di uscita della carta	receptāculum copiārum
Vorlageneinzug	document handler	chargeur manuel	cargador de documentos	alimentatore automatico	*intrāculum documentōrum [1. cfr António Freire, Conversação Latina. Porto 1960, p.15: *extraculum]
Abdeckung	cover	couvercle	tapa	coperchio	operculum , -ī n.
Bedienungs-konsole	control panel	tableau de commande	tablero de controles	pannello di comando	tabula moderātōria
Papier-einschubfach	bypass feeder	chargeur automatique	alimentador	alimentatore manuale	*onerāculum chartārum
Papierablagen	paper trays	magasins	bandejas para el papel	cassetti della carta	dēpositōria chartārum
Reservepapier	paper in reserve	réserve de papier	papel de reserva	carta di riserva	chartae subsidiariae
automatische Sortierablagen	automatic sorting trays	plateau de tri automatique	cambio automático de bandejas	cassetti di smistamento automatico	dēpositōria distribūtiva
Bedienungs-konsole	control panel	tableau de commande	tablero de controles	pannello di comando	tabula moderātōria
Kopien-ausgabemodus	copy output mode	mode de sortie des copies	modalidad de producción de copia	moda di uscita della copia	modus copiās ēdendī
Verkleinern/Vergrößern	reduce/enlarge	réduction/agrandissement	reducción/ampliación	tasto di riduzione/ingrandimento	plēctrum dēminuendī/exaugendī
Informations-display	message display	écran d'affichage	display de mensajes	display informativo	*othonidium infōrmātiōnum
Einstellungen löschen	reset	remise à zéro	reiniciación	tasto di azzeramento	plēctrum *reinitiandī [2. cfr Provincia Rhenana Fratrum Minorum Capucinatorum, Heidelbergae 1750, p.420: «Alzeiae solemnibus officiis sacris reinitiamus ecclesiam parochialem...»]
Farbeinstellung	colour control	contrôle de la couleur	control de color	tasto colore	plēctrum colōris
Kopienanzahl	copy quantity	nombre de copies	cantidad de copias	numero delle copie	numerus copiārum
Kopierkontrolle	photocopy control	contrôle de la photocopie	control de fotocopias	controllo della copiatura	moderāmen *phōtocopiandī
Überlappanzeige	original overlay	superposition d'originaux	sobreimpresión del original	sovrapposizione automatica degli originali	*indicāmen superpositiōnis orīginālium
beidseitiges Kopieren	two-sided copies	copie recto/ verso	copias anverso/reverso	copie fronte-retro	+copiātiō utrīusque pāginae [Latinitatis medii aevi lexicon Bohemorum http://lb.ics.cas.cz/copiatio1]
Stopp-Taste	stop	arrêt d'impression	stop	tasto di arresto	plēctrum sistendī
Start-Taste	start	impression	puesta en marcha	tasto di avvio	plēctrum expediendī
Kontrasteinstellung	contrast control	contrôle du contraste	control de contraste	tasto regolatore di contrasto	plēctrum discrepantiae

					moderandae
p.513 Personal-computer	personal computer	micro-ordinateur	ordenador personal	personal computer	*computātrum persōnāle *ōrdinātrum persōnāle
N 629: Tower-Computer	tower case computer	ordinateur à boîtier tour	ordenador de torre	computer con unità centrale a torre	*computātrum turrītum
